

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-204568-p0002-4

DFG

17.
DISSE^TRAT^IO IVRIDICA
DE
MAGISTRATV MALE
PROCEDENTE,
FIDEM PVBLICAM VIOLANTE,
EIVSQVE POENA

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

PANDECTAR. P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.
CVRIA IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC. LVSAT.
INFERIOR. NEC NON FACVLT. IVRID.

ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM
DIE XXVI. AVGVSTI MDCCCLXVI.

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR ET RESPONDENS
CAROLVS GOTTLIEB SENFF.

STOLPENS. MISN.

LIPSIAE
LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.



ADICIONI LITERARIAE

ANNO V

ADICIONI

ADICIONI

V I R O
CONSULTISSIMO ET AMPLISSIMO
CAROLO SAMVELI
SENFFIO
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE
CAMERAE COMMISSARIO

PATRVELI AC PATRONO MEO
GRATIOSISSIMO.



V I Z O
CONVENTUS ET AMPITISSIMO
CARO SAMUELI

O L P E N B U

OBITUARIA SANCTORUM

1515 COMMUNICATA

OBITUARIA SANCTORUM

COMMUNICATA

VIR
CONSULTISSIME ET AMPLISSIME
PATRVELIS AC PATRONE
COLENDISSIME


Anon ut haberem, cui hoc opusculum leue profecto addicerem nomen **TVVM** anteponere ausus sum; sed ut publicum esset meae erga **TE** obseruantiae et grati animi testimonium. Non enim fuit aut mediocris aut obscura, aut eiusmodi, quae silentio posset praeteriti **TVA** adhuc erga me benevolentia, qua consequutus sum, non modo ut dominus **TVA** tota sed ut omnes me **TVO** Favore augeri cognoscerent: Neque mihi sane unquam aut venerandi **TE** aut colendi voluntas defuit; orbum enim me patre optimo, qui nunc inter beatos coelites versatur, tanta me suscepisti munificentia, tamque beneuelle tecum vesus es, ut mibi patris loco esse videreris. Quo quidem ex tempore memoria teneo, neque meam **TIBI** obseruantiam et animum gratum neque mibi **TVAM**
sum-

summam benevolentiam ac liberalitatem desuisse. Quam
ob rem ut gratias, quas cum referre non possim, tamen ha-
beam, hoc publicum esse signum volui, quantum TE ve-
nerer et quam grata mente et pia, omnia ea beneficia, quae
tam liberaliter hac tenus in me collocasti, agnoscam. Faxit
Deus immortalis, quem Optimi PATR VELIS causa
obtestor, ut nostrae familie decus et praesidium aetatem
porro agas, immo corpore et animo usque ad ultimum tem-
pus vigeas, utique omni rerum copia ad seruos usque annos
conserueris. Ego vero TIBI profiteor atque polliceor eam
religionem atque pietatem, quam TIBI non modo debeo,
verum etiam ex animo tribuo, et perpetua vita, si addi
aliquid possit, habiturus sum maiorem, in quo, etiam si mul-
ti mecum contendent, tamen omnes facile superabo, atque hoc
tantum abs TE peto, immo efflagito, ut et in posterum me
TVO patrocinio augere velis.

AMPLISSIMO NOMINI TVO

Dabam
Lipiae d. XXVI. Augusti
CIOCC LXVI.

CLiens DEDITISSIMVS
CAROLVS GOTTLIEB SENFF.



I. N. I.

D E

MAGISTRATV MALE PROCEDENTE,
PRAECIPVE SECVRITATEM ET FIDEM
PVBLICAM IN ACTIBVS IVDICIALIBVS
EXEQVENDIS, VIOLANTE,
EIVSQVE POENA ORDINARIA.

PRO O E M I V M.


Illud quod nobis semper sanctum esse debet, iustitiae sacerdotium, quo praecipue illi funguntur, quibus eiusdem ministerium demandatum est, nulla ynquam ratione violandum, multo minus ipsum Magistratum in exequendis actibus iudicialibus turbandum esse, tot tantisque summorum Imperantium sanctionibus firmatum, imo ex communi DD. sententia constat, neque illos fugit, qui legitimae scientiae degustarunt tantum primordia. Haecc vero omnia salutarem propter iustitiam et veri rectique exercitium accepimus, cui tanto indignius illudunt illi, qui magistratum dum gerunt, quem proni laetique prosequi debent, peruerso plane genio et iniqua prorsus manu hoc agunt, vt finis iste, quem omne
ius

❖ ❖ ❖

ius intendit, iustitia nimirum attingi nequeat. Hinc satis opportune specimen aliquod Academicum editurus nobile hoc argumentum, de quo, nisi me omnia fallunt, nemo peculiari meditatione adhuc egit, sub incudem vocandum esse censui. Quod vero ut tanto melius succedat, rem ipsam paulo altius repeteret lubet, et quidem ita, ut Doctrinam de Magistratu eiusque officio prosequar, hinc inde de Magistratu male procedente, securitatem et fidem publicam, in exequendis actibus judicialibus violante, eiusque poena ordinaria, agam.

§. I.

Cum CICERO pro CAECINA eleganter dicat:

Omnia iudicia, aut distrahiendarum controuersiarum aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt, quorum alterum leuius est, propterea quod et minus laedit; et persaepe disceptatore doméstico diiudicatur, alterum est vehementissimum, quod ad grauiores res pertinet, et non honorariam operam amici, sed seueritatem iudicis ac vim requirit, ab ipso iudicio rem repeteret lubet. Diuersos vero hoc vocabulum recipit significatus, non solum enim denotat iustum voluntatis nostrae sententiam *I. 22. in fin. ff. de adoption.* *I. 8. in fin. ff. de vulg. et pupill. substit.* hinc SENECA lib. 3. de ira cap. 7. Alius aut iudicia patris accusat, quae mereri satius fuerat: aliis cum matre consistit: sed etiam locum vbi praetor sedet et ius partibus dicit: Imo et interdum accipitur pro iudice *I. ultim.* C. Theod. de *Iurisdict.* et pro rescripto *I. 2.* C. Theod. de *offic.* omn. *iudic.* Ast in praesenti tractatione iudicii vocabulum nobis est sollemnis disceptatio coram iudice, de controuersia quadam instituta, litis finienda gratia *I. 4.* C. de *sentent.* et *Interloc.* Ipsa vero iudicia in priuata ac publica dispescuntur; quum omne ius vel publicam vel priuatorum utilitatem principaliter respicere Romanis videbatur et publicum dicebatur, si aut ipse populus, aut accusator quidam totius populi nomine iudicium instituerat, eum in finem, ut crimen aliquod publice coerceretur; *I. 9. §. 5. ff. de publ. veſt.* priuatum vero seu ciuile iudicium nuncupabatur, quum is, qui agebat,

agebat, peteret, vt id, quod sibi deberi putabat, tribueretur. Exinde potissimum oritur iure Romano diuisio in delicta publica et priuata, quam notionem et Graeci sibi vindicarunt, cum diuiderent actiones in *κατηγορίας* nomine proprio et *δίκαιας* communis, i. e. publicas et priuatas. Hinc Ilocrates in Oratione de Iugo et in Paneg. *κατηγορίας* autem criminibus puniendis, *δίκαιας* priuatis disceptationibus constituta.

§. II.

Forma horum iudiciorum apud Romanos aequa ac veteres Germanos multo aliter fuit comparata, ac nostro demum aevo eandemque accepimus, quem enim vel leuiter tantum sacris nostris imbutum fugit, Reges olim ius dixisse? Hinc DION. HALICARNASS. X. I. et LIVIVS, I. 12. recte perhibent: EVM, SERVI. TULLIVM. *iura redditum*, obitumque alia regis munia. Sunt quidem qui statuunt, Reges nullas plane leges edisse ac promulgasse, ast fallunt atque falluntur; nam et si lubenter concedamus, Romanos primis imo antiquissimis ipsis temporibus sine lege et iure certo vixisse, cum nimirum Regum arbitria defectum legum supplerent, et edicta eorum pro lege essent, Lilius hb. I. C. XXXII. Dion. Halicarnass. Antiqu. Lib. III. p. m. 178., tamen Quirites mox efflagitarunt leges. Hinc ipsi Reges ius dicebant, et munere legislatorum fungebantur. Romulus quidem primus fuit, qui R. P. saluberrimis legibus composuit, easque in Comitis curiatis, suffragio populi tulit, quae potissimum ad ius naturae, iura matrimonialia, parentum et patrornorum spectabant.

Matrimonia nimirum confarreata introduxit, seu modum nubendi per confarreationem, per sacrificium virum inter et vxorem, in quo panis farreus adhibebatur, vxor hinc inde in manum mariti conuenisse dicebatur, per quam in manum conuentioneum vxor siebat filia familias, et hinc particeps sacrorum gentilium mariti; unde talis emergebat communio, qualis patrem inter et filios ratione sacrorum. Reliquas leges a Regibus latas iam mittimus, quas III. HEINECCIVS, BRVNQVELL, BACHIVS et alii

B

plena



plena manu dederunt. Sed caue! hic subsistas, multro enim tuis ex ipsis fontibus, quos iam indicauimus, hauriendum erit.

§. III.

Eiectis hinc inde Regibus, tot tantisque mutationibus rerumque vicissitudinibus obnoxii fuere Romani, ut certe deficerem, si eas attingere vellem, hinc tantum addere licet, R. P. ab eo tempore vsque ad Leges XII. Tabularum conditas, duos Consules centuriatis Comitiis e lege Iunii Brutii praefuisse, et quidem regio plane imperio, cui nihil deesse videtur, nisi quod per annum imperio tantum praecessent. De hinc Quaestores, Dictator, Magister Equitum, Tribuni plebis, ad Magistratum vocati sunt.

§. IV.

Maxima vero deinceps cum exoriretur discordia plebem inter ac Patricios, quorum imperium vltro recusabat, ad libertatem vel maxime adspirans plebs auctore C. T E R E N T I O A R S A, Trib. pl. Lege Terentilla, A. v. CCXCIII. lata statutum, ut quinque viri crearentur legibus de imperio consulari scribendis. Tandem vero Legati in Graeciam missi sunt, qui leges S O L O N I S aliorumque describerent, quibus reuersis D E C E M V I R I legibus scribendis creati sunt, et hinc iure Graeco, ope H E R M O D O R O Ephesino exule vtebantur, qui rationes harum legum Romanos tanto melius edocere poterat, cum ipse olim princeps Graeciae fuisset, de quo sibi non solum gratulabantur, sed ei quoque statuam ponebant Romani. Leges itaque nouae conditae sunt ad statum R. P. Romanae adtemperatae, primo decem tabulis, quibus duea adhuc adiectae sunt, vt itaque haec leges XII. Tabularum veluti corpus omnis iuris Romani essent, quas sanctas habebant, hinc C I C E R O ita loquitur: Tremant omnes licet, dicam quod sentio, bibliotheca me hercule! omnium philosophorum vnuis mihi videtur XII. Tabularum libellus, si quis legum capita ac fontes viderit et auctoritatis pondere et utilitatis vbertate superare, Conf. Gothofredus ad Leges XII. Tabb. Hinc inde certi Magistratus creabantur, summa vero R. P. penes Con-

Consules erat, Censores autem censui praecerant, et Praetores, Aediles, Quaestores, qui omnes ad Magistratum maiorem spectabant; Conf. GEORGII BUCKSULBERII, memorabile Iuridicum Pandectarum:

Sunt Quaestor, Praetor, Vigilum Praefectus habendi,
Officium pariter Proconsulis utile noscas.

Vult his Augusti Praeses, vel Caesaris addi,
Censor Alexandri ius mandat, et assidet inde.

Quum vero XII. Tabulae adeo obscurae essent, illas Iuris-
consulti illustrabant, atque ad facta applicabant; hinc habes re-
sponsa prudentum, qui vero non eadem gaudebant auctoritate,
erant nimirum, qui leges XII. Tabularum illustrabant, quorum
disputationes Ius Ciuale dicuntur, l. 2. §. his legibus latissimis. O.
I. Erant quoque, qui consulentibus priuata auctoritate respon-
debant, et denique, quorum responsa ius faciebant; RAEVAR-
VYS de prudentum auctoritate.

S. V.

Sic quoque singularis plane in ius vocandi ratio apud Ro-
manos obtinebat, ut IVSTINIANVS Imperator §. 3. I. de poe-
na temere litigantium, satisclare his verbis probat: Principium
omnium actionum instituendarum ab in ius vocatione profici-
tur. Poterat vero quis iuris sui experiundi causa aduersarium
ipse ad Praetorem euocare, quod tamen ad iudicia publica non
spectat, quae teste IVSTINIANO pr. Instit. de publ. iud. neque
per actiones ordinantur, neque omnino quidquam simile habent
cum ceteris iudiciis, magna que diuersitas eorum est in instituen-
do et exercendo. Licebat itaque auctori, reum in publico obuium
experiundi iuris sui causa, in ius vocare, et quidem hac formula:
In ius eamus, vel: in ius veni, sequere ad Tribunal; Conf.
BARNAB. BRISSONIVS de formulis et solemnibus Populi Ro-
mani verbis. Libr. V. nefas enim habebatur quemquam de domo
fua, ut tutissimum refugium, in ius rapere, GAIUS in L. 18. et
20. ff. de in ius vocat, nisi vterque per domesticos disceptatores rem
componere maluisset, LIVIVS IV. 9. CICERO pro CAECI-

NA, II. Detrectante aduersario auriculam proxime adstantis attingebat actor et rogabat: *liceretne antestari?* Qui ubi respondisset: licet, addebat: memento, seu memor esto, et facta antestatione aduersarius manu iniecta in ius rapi poterat, hinc **HORATIVS** serm. lib. I. Sat. IX.

Casu venit obvius illi

Aduersarius, et, quo tu turpissime? magna
Inclamat voce; et licet antestari? Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in ius. Clamor vtrinque,
Vndique concursus.

Auriculam nimirum memoriae sedem putabant. **PLINIVS**, Hist. nat. XI. 103.

Huc spectat lex Decemuinalis, de in ius vocatione. Ab hac violenta in ius vocatione Praetor nonnullos excipiebat, constitutens: Ne quis parentem, patronum, liberos, aut etiam parentes ipsius patroni, patronaeue, nisi impetrata venia, in ius vocaret; notatu vero dignum ducimus, haec ita recte se habere, vbi ciuis, ciuem Romanum in ius vocabat, neutquam vbi cum peregrino rem habebat, quo casu diem ipsi condicebat, ut, datis pignoribus vel vadibus promitteret, se statu die adsuturum, et nisi se sifteret, certam poenam seu mulctam soluturum, quod vadimonium dicebant, datis enim vadibus, reo vadere seu abire licebat.

§. VI.

Solebat porro actor, reo actionem edere, seu illum ad alium ducere, ut indigitaret, qua legis actione vti yellet; sumitur vero hoc loco non pro albo edictorum Praetoris, sed pro formularum actionum *)

*) **CICERO**, Orat. pro Rose. sunt, ait, iura, formulae de omnibus rebus constitutae, ne quis aut in genere iniuria, aut ratione actionis errare possit; Expressæ sunt enim ex vnius cuiusque damno, dolore, incommodo, calamitate, iniuria, publicæ a Praetore formulae, ad quas priuata lis adcommmodatus.

actio-

actiones nimis similes ac Pontificibus subreptae erant, describabantur, atque omnium oculis exponebantur, Lipsiensium Decus, atque Ordinatus, quem nominasse sufficit, l. c. §. XI. de hac re pereleganter ita loquitur: *Saepe petitior actionis nomen edere iugus, aduersarium ad album deducebat et qua experiri vellet formula digito demonstrabat L. 1. §. 1. ff. de edendo, et porro; Hoc edictum Praetoris album vocatur, L. 7. ff. de iurisdict. non propter, quod in pariete albo scriptum, sed ut THEOPHILVS in Institutionibus nos docuit, quod in tabula nigra, albae litterae apparebant; Nam ut dicimus: aliud habet rubrum, aliud nigrum, item: ad rubrum et ad nigrum se conferre, utque hoc dicto non tabulas rubras, aut nigras, sed litteras ita coloratas intelligimus, ita plane eodem modo album est, quod albis litteris scriptum.*

§. VII.

Iam vero ubi sponsione facta, mutuo sacramento se prouocassent, iudicem actor offerebat, atque interrogabat: *SEI ALIVM PROCAS, NIVE EVM PROCAS, procare enim idem est, ac poscere, quo facto a Praetore iudicem postulabant litigatores, cui partium consensu electo, protinus iudicandi facultatem tribuebat, qui Iudex Pedaneus dicebatur. De Arbitris et Recuperatoribus, de Eremodicio, (Eremodicum από της εγνώ δίκης defertum iudicium denotat) de Decemuiris Stlitibus iudicandis, ne limites libelli academic transgrediar, peculiari tractatione agam et pauca tantum de sententia iudicis in medium proferam. Hanc fererat Index, ex tabella quadam, et quidem sedens; si anguis forsitan sub herba latebat et causa ambigua videbatur: SIBI NON LIQVERE, pronuntiabat, imo tanta in proferendis sententiis vtebatur modestia, ut non rem ita esse, sed potius: *Sibi ita videri* pronunciareret, sententia vero semel lata atque lecta, nec augeri, nec nimui poterat.*

§. VIII.

Nostro iam aevo, priuata in ius vocatio locum non amplius habet, quae hodie Magistratus auditoritate fit, ita quidem ut nihil omittatur, quod ad ipsam citationem, si effectum produce-



re debet, spectat, quod adeo verum est, ut propter defectum reus in Termine praefixo emanere possit, aut ybi comparuerit, ad respondendum cogi nequeat, quo casu ita pronunciatum sci-mus: Dass Klaegers Suchen noch zur Zeit nicht statt hat; Es ist aber Beklagter nach anderweitig vorgehender richtiger Ladung, auf die erhobene Klage sich einzulassen, zu antworten, und den Krieg Rechtens zu befestigen schuldig. Irrita fit citatio, et actor contumaciae accusatione repellitur, quoties de reo non satis constat, vel in nomine rei error commissus est. Causa quoque vocationis in iudicium inferenda est citationi; iuxta R. I. de anno MDCLIV. §. XXXIV. vel libello descripto, reo notificanda. O. P. S. tit. 4. §. I. quibus non obseruatis parti aduersae competit exceptio non communicati libelli, quae reum a respondendi necessitate liberat.

§. IX.

Quod vero iam in medium protulimus, de antiquissimis ipsis iuris Germanici temporibus haud erit affirmandum, Germani enim initio moribus et pactis viuebant, neque ius scriptum colebant, rem hinc inde rationem et bonos sequebantur mores, imo constat veteres Germanos, cum reliquis antiquissimis gentibus, ad seculum usque quartum legibus scriptis caruisse, quo demum seculo litteras inter Gothos, V L P H I L A S inuenisse dicitur, neque eorum sententiae calculum nostrum adiicimus, qui litterarum ac scripturae usum Germanis post seculum quintum demum attribuunt, Leges, quas maiores nostri eo usque coluerant iussu CAROLI M. in scripturam redactas fuisse, inter omnes constat, quibus res iudicia Germaniae vetustissimae curae cordique est, aut unquam fuit. Haec leges ius antiquum Germaniae constituant, ut speculatores fontes iuris mediæ aeuī merito salutantur, ius vero nouum domesticum, Recessus Imperii, et quae ad lura publica, tam ecclesiastica, quam secularia ultro spectant, absoluunt.

§. X.

Hinc pro varia, variorum Gentium in Germaniae conditio-ne, varia quoque iudicia, variosque adhuc agnoscimus Magistratus,

vt

vt III. ENGA V, rerum germanicarum inuestigator perspicacissimus, argumentis auro cedroque dignis euincit. Primum iudicia sub dio in loco edito, arbore procerā, pertica, cruce aut vexillo notato habebantur, qui locus *Mallus* M A L L O B E R G I V M, vel a *Mahl*, signo, iudicium denotante, vel a Marlen, quae vox colloquium significat, dicebatur, cui lubenter iungimus D U F R E S N E Gloss. ad scriptores mediae et infimae Latinitatis qui sententiam suam ita declarat: Vnde vero enata vox *Malbergium* seu *Mallobergium*, ipsa satis prodit nomenclatura, a *Mallum* scilicet et *Berg*. Quid sit *Mallum* mox docebimus, placitum nempe: *Berg* vero diuersorum ac tutamen interpretatur W E N D E L I N V S in Gloss. salico, nec montem significare contendit. Verum hic montem, significare plane astruunt leges M A C O M I. II. Scotiae Regis Cap. r. §. 2. quae *Malbergium* per montem placiti videntur expressisse. Vbi S K E N A E V S: montem seu locum intelligit, vbi placita, vel curiae regiae de placitis et querelis subditorum solent teneri, vbi Barones compareant, et homagium, ac alia seruitia debita offerant, et vulgo omnis terra vocatur, quia ex terrae mole et congerie exaedificatur: quam regni Barones, aliquie subditi ibi comparantes, vel coronandi Regis causa, vel ad comitia publica, vel ad causas agendas et decidendas, coram Rege, in vnum quasi cumulum et monticulum conferebant.

§. XI.

Dein in templo quodam, vel alio loco publico conueniebant, vt tecta demum construerentur C A R O L V S M. curauit, nihil tamē minus et subsequenti tempore, quaedam sub dio, et in coemeteriis fuere exercita. Hinc dici cooperunt S a a l. P f a l. curiae. De omnibus vero iudiciis, vt sunt iudicia imperii, prouincialia, statuum, superiora vel inferiora, generalia vel specialia, Praefecture, et iudicia Nobilium, neque vacat dicere, neque opus est, celebratissimorum enim iuris Germanici scriptorum corona, haec omnia plena et amica manu nobis dedit. Quodcunque tamē sit iudicium, notari debent personae iudicium constituentes, et quidem principales, vt sunt Iudex, Actor et Reus, et minus principales, de illis iam locus dicendi erit.

§. XII.



§. XII.

Iudex, quem olim *Grau, Meister* salutabant, mihi est vir publica auctoritate constitutus, cui competit potestas controuer-sias in iudicium deductas, iuxta certum atque determinatum modum, audiendi, cognoscendi, decidendi et exequendi; vir *bonus, habilis et competens*. Hinc sequitur, vt affectu odii, vel amoris occupatus, iudicis personam sustinere nequeat, vnde CALLISTRATVS qualem se praebere debeat Praeses docens, ita loquitur: *In cognoscendo neque excandescere aduersus eos, quos malos putat, neque precibus calamitosorum illacrymari oportet: id enim non est constantis et recti iudicis, cuius animi motum vultus detegit, et summatim ita ius reddi deber, vt auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat.* Nec habes, quod nobis obiicias; haec tantum ad officium Praefidis pertinere, cum contrarium verius sit, et ad omnes, qui Magistratum gerunt, pertineat, audiamus post multos alios BRVNNEMANVM, qui in hanc legem, per quam egregie ita commentatus est: Duo sunt, quae ornant Praefidem, omnemque Magistratum, 1. Benevolentia, quam facilitate in audendo sibi conciliabit. 2. Auctoritas, quam probabit, si paucos in familiaritatem, neminem autem in nimiam familiaritatem admittat: Si aliter fecerit, nasceretur contemptus.

SENECA, tam memorabile, quam fleibile de affectu in Iudice nobis reliquit monumentum; C.N. PISO inquit, memoria nostra Vir a multis vitiis integer, sed praus, et cui placebat pro constantia rigor. Is cum iratus duci iussisset eum, qui ex commeatu, sine commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum, non dedit. Damnatus extra vallum ductus est, et iam ceruicem porrigebat, cum subito adparuit ille commilito, qui occisus videbatur. Tunc Centurio supplicio praepositus, condere gladium iubet: damnatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni innocentiam, nam militem fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur, complexi alter alterum, cum magno gaudio castorum, commilitones: Conscendit tribunal furens Piso, ac iuber duci

duci utrumque, et eum militem, qui non occiderat, et eum, qui non perierat. Quid hoc indignius? quia unus innocens ap- paruerat, duo peribant, Piso adiecit et tertium, nam ipsum Centu- rionem, qui damnatum reduxerat, duci iussit.

§. XIII.

Multae et variae dantur causae, quae animum iudicis vel ma- xime agitare, et a iustitiae tramite auocare possunt quarum praeci- puæ recententur, amicitia, timor, odium, auaritia, commiseratio. Ira sane maximam animi perturbationem proferre, et facile in furem degenerare, imo rationis usum prohibere potest, amicitia, gratillima illa mentis commotio, facili negotio hoc efficit, vt iudex non ius, cuius minister est, sed amicum quem impense diligit, prosequatur; sic timor quoque impedit, quo minus iustitiam exerceat iudex, praecipue quum negotium cum potentiori habeat, qui quantum placet nocere potest. Quid de odio dicendum? Odium oculis mentibusque densissimam obduxit nubem, et animum ita peruerit, vt sensus in id, quod iustum atque aequum est, minime intendat. Quorsum vero dilabitur, auditus ille aeris? vt IVSTINIANVS Imperator Nou. 8. in Praeuat. §. 1. summa aequitate ductus, acci- pere, ait, suffragium a iudicibus, totius nequitiae est principium, et terminus est quoque hoc facrorum eloquiorum mirabile, et verum, quod auaritia omnium sit mater malorum; maxime quando non priuatorum, sed iudicium inhaeret animabus. Quis enim sine pe- riculo non furetur? Quis non latrocinabitur, sine reatu, ad admi- nistratorem respiciens? Illum namque videns omnia auro vende- tem, et præsumens, quia quicquid egerit illicitum, hoc pecunias dando redimet: hinc homicidium, et adulterium, et inuasionses, et vulnera, et raptus virginum, et commerciorum confusio, et con- temptus legum et iudicium, omnibus haec venalis proposita esse pu- tantibus, tanquam aliquod vilium mancipiorum, sed neque suffici- mus considerare et exponere quanta ex furto prouincialium iudi- cum fiunt pessima: nullo eos præsumente cum fiducia redarguere, cum illi repente se emissæ cingula pronuntient, hinc elegans est quod PLVTARCHVS de Alcamone refert, qui interrogatus, cur munera a Messenis oblata recusasset, respondit, quoniam, si

C

rece-





pissim pacem cum legibus habere non potuisse. Quae Imperator, Cap. I. de Magistratibus sine suffragiis creandis, prolixius tradit, et Magistratus in crimen Barattariae incidit, quod nobis commissum dicitur ab eo, qui in magistratu potestate, curatione legatione, vel alio officio ministerioue publico accipit pecuniam, quo magis aut minus officium faciat, vid. CHRISTOPH. DE LYNKER Dissert. de Barattaria, Ienae 1684. GODOFR. LVDOV. MENK. Diss. de crimine Barattariae, s. repetundarum Witteb. 1729.

S. XIV.

Denique de Misericordia nobis sermo est, quae cerebrina audit, vbi ipse Iudex se Legibus mitiorem praefstat, quod vel maxime in coercendis criminibus atque delictis euenit, Reipublicae enim interest, ne delicta maneat inulta; neque Iudex potestate, genus a lege constitutum, in aliud conuertendi pollet, quae potestas penes principem est, qui enim legem dedit eandem etiam sua auctoritate corrigeret et tollere potest. Exceptio tamen admittitur, si leges determinationem poenae iudicis arbitrio relinquunt, aut Princeps priuato ius dispensandi, quae est species abolitionis alias ad iura maiestatica pertinentis concedit. Hinc in iure reperiuntur delicta extraordinaria, quorum poena legibus non est determinata, sed ab officio iudicis, tam ad delicti quam personae qualitatem respicientis dependet, et ita datur casus, vbi in criminibus iustitia distributiva, quae in regula non obtinet, sibi vindicat locum. Eam ob causam Imperator CAROLVS art. CV. expresse disponit: ferner ist zu merken, in was peinlichen Fällen oder Verklagungen, die peinlichen Straffen in diesen nachfolgenden Artikeln nicht gefetzet, öder genugsam erklärt oder verständiget wären, sollen Richter und Vrtheiler, so es zu Schulden kommt, Raths pflegen, wie in solchen zufälligen oder unverständlichen Fällen, unsern käyserlichen Rechten, und dieser unser Ordnung am gemässtigsten gehandelt und genrtheilet werden soll, und alsdann ihr Erkänntniss darnach thun, wann nicht alle zufällige Erkänntniss und Straffe in dieser unser Ordnung genugsam mögen bedacht und bescriben werden. Conuenit huic sententiae effatum PAVLI l. 90. ff. de din. Reg. Iur. In omnibus quidem, maxime tamen in iure, spectanda est aequitas: nec non MAR-

CELLI:

C E L L I: Et si nihil facile mutandum est ex solemnibus: tamen vbi
aequitas euidentis poscit, subueniendum est, quod etiam B R V N-
N E M A N N V S ad L. 2. §. 5. D. de aqua et aqu. pluu. arc. probat,
vnde inquit, aurea hic habetur regula: *Aequitas suggredit, ut per-*
mititur mihi aliquid facere in fundo vicino, si ipsi non noceat, mi-
hi autem profit, licet iure deficiamur. Hinc et saepiuscule contin-
git, vt aequitate suadente ob diuturnitatem carceris, si nulla inqui-
fici culpa concurrat, in homicidio Index a poena capitali legibus
determinata recedere et eius loco fustigationem decernere possit.
Ad posteriorem casum refertur priuilegium, quod in Saxonia Ma-
gistratis altam iurisdictionem habentibus conceditur, vi cuius
poenam fustigationis et relegationis in certam poenam pecunia-
riam adhibita tamen dicasteriorum sententia commutare possunt.

§. XV.

An vero arbitrium iudicis restrictum sit, an non? Inter ICtos
lis est, monente nimirum I V L I A N O l. 10. ff. de legibus: *Neque*
leges, neque sc̄ta ita scribi possunt, vt omnes casus qui quandoque
incident, comprehendunt. Iudicibus sc̄. facultas concessa videtur,
vt lege tacente, quandoque ex aequo et bono procedant, quod sub
voce *arbitrii*, Germ. Richterliche Wilkür venit, et est facultas iudi-
ci, in casu deficientis expressiæ legis dispositionis permitta, vt circum-
stantiis omnibus bene expensis, ad analogiam iuris, proprio ausu de-
cernere et ius dicere possit, vnde iam satis luculenter patet, hanc fa-
cultatem minime esse illimitatam, quae potius intra iusti et aequi
limites subsistit. Ut autem arbitrium voluntati opponitur et per
arbitrium intelligitur illud, quod cum iuris et aequitatis regulis
conuenit, hinc arbitrium tutelae. t. t. arb. Tut. Familiae ercif. imo
et b. f. iudicia, arbitria dicuntur. l. 20. pr. l. 30. famil. ercif. l. 38. pro
socio, sic voluntas meram potestatem facientis inuoluit, vnde c o c-
c e i v s recte D. de arbitrio Boni Viri Th. 5. infert: *Voluntas est*
id, quod quis velle debet, et ex quo ipse vir sapiens et bonus aestima-
tur. Scilicet arbitrium iustum et rectum l. 37. de Vf. Quibus ad-
dere haud dabitamus: arbitrium ad aequitatem naturalem et con-
formitatem iuris directum, quod testatur C I C E R O: Arbitria ait
ea dicuntur iudicia, quae in bonum et aequum concipi et ex bona



fide reddi solebant. Alias enim ex fiducia magistratus arbitrium qui dicit, *nach dem wiederrechtlich sich angemachten Obrigkeitlichen Ansehen, sive Amts Troze, iniuriarum tenetur.* l. 32. ff. de iniuriis: *Nec Magistratibus licet aliquid iniuriose facere, si quid igitur per iniuriam fecerit Magistratus, vel quasi priuatus, vel FIDUCIA MAGISTRATVS iniuriarum potest conueniri.* Conf. quoque HEBERI Tractat. de fiducia Magistratus. Intelligimus igitur per Fiduciam, arrogantiam illam, qua freti, qui Magistratum gerunt, omnia sibi licere credunt, et quaecunque agunt, sub hac auctoritate, satis recte egisse, praeluumunt, audiamus hac de re CARPOVIVM lib. 2. T. 5. Resp. 64. *Non raro, inquit, super iustitia protracta et denegata partes litigantes conqueri videmus.* Nempe quia tales non semper sunt Iudices, et magistratus quales esse deberent. Communiter namque bodie in oppidulis iurisdictionem exercent plebeii et mechanici: *Quin et in maioribus oppidis saepius iuri regundo, et litibus terminandis tyrones, terrae filii, germanice Pfeffer Säcke, praeficiantur, non sine graui Reipublicae damno.* Hinc inde neminem officium publicum eximere valet, ab excessu, fiducia potestatis commisso, quia officii limites Magistratus transgreditur, ita, ut indignum se faciat, et quasi deposito titulo publico, in numerum priuatorum transeat.

§. XVI.

Cum hac fiducia magistratus, coniungimus Potentatum magistratum, die anmaßliche schroeckliche Gewalt derer Beamten. Vox Potentatus, non semper in eodem significatu sumitur, nimurum in sensu speciali significat potestatem superioris, vnde Potentat, denotat porro vim iniustum, a potentioribus inferioribus illatam l. vn. C. de Rap. Virg. et denique conditionem potentioris terribilis libertatis voluntatis contrariam, quo sensu nos hac vocce, in praesenti vtimur. Contra hunc potentatum, multas habemus leges, l. 6. §. 3. ff. de Off. Proc. l. 62. ff. de contr. emti, imo maximo odio prosecutum accepimus, et quidem propter praesumtam vim et concussionem, quam praccipue magistratus provinciales exercere poterant, hi enim summo fere cum imperio mittebantur, imo probe perspectum habebant legislatores, quod quic-

quicquid magistratus provinciales agerent, tam facile ad notitiam summorum Imperantium venire non possit, ut facta eorum, qui Romae degebant. Omnes vero potentatus rei sunt, in quos concussionis metus cadi, et illi, quos magistratus concutere potest, sunt, qui eorum iurisdictioni sunt obnoxii, sive ibi domicilium habeant, sive inde oriundi sint, l. 38. ff. de rit. nupt. Commititur potentatus in actibus iudicialibus et extrajudicialibus, confotus titulus C. ne lice. potent. patroci. litigantibus praestare, vel adiaciones in se transferre. Actus extrajudiciales, habes matrimoniales, ne magistratus provinciales mulierculas provinciales ad matrimonia ineunda concuterent, et illarum facultates ad se trahe rent, hinc sanxere; ne cui ex illis cum provincia eiusdem mulieribus nuptias contrahere liceret, l. 65. §. ff. de R. N. et contractus, prohibentur nimirum emere res corporales et incorporales, excipiuntur tamen res, quae ad vitae sustentationem pertinent, quorundam spectant alimenta, vestes, et utensilia, quod ita tenendum, ut nihil inter sit, vtrum res in eadem provincia sit, nec ne fieri enim potest, ut tamen vendor sub iurisdictione emtoris sit constitutus, pro ciuitatibus autem, quibus praeverant, contractus recte et valide celebrabant, hoc enim negotium, nomine publico suscipiebant l. 1. C. de commerc.

§. XVII.

Hinc omnino sequitur, quod Magistratus contra ipsam iustitiam, quam sanctissime colere debet, agat, si genio suo nimis indulget, et dolo, aut culpa iustitiam infringit; quod haud raro, et ab inferioribus Iudicibus, iustitiam laudentibus, imo prostituentibus audiuiimus, quorum nomine, non solum ipsi Iudices nobis veniunt; sed etiam Actuarii Iudiciorum; constat enim, iudicia Nobilium tantum ab Actuario, qui simul Iudex et Actuaris est, administrari. Plerumque vero fit, si Iudex inferior implorantibus iustitiam denegat, vel aliter iudicat, ac legibus moribusque est proditum. Si vero Iudex directo contra legem pronunciat, sententia eo ipso est irrita, et nullum consequitur effectum, etiam non interposita appellazione, l. 1. §. 2. ff. quae sentent. sine appell. rescind. l. 2. et l. 5. C. quando prouoc. non est necess; neque va-



let praescriptio, quae confirmari non potest, quod ipso iure nullum est. l. 19. ff. de appell. Aliter res se haber, quando Iudex contra ius partis litigantis pronunciat, tunc omnino sententiae est standum, nisi per remedia vel suspensiua vel deuolutiuua rescindatur, imo si de iure pronunciat inique *l. cum prolatis, ff. de re iud.* si que ex errore, seu imperitia male iudicat. Iudex e contrario, dolo malo contra ius pronuncians, item suam facit, et contra eum in item iuratur, ad damna restituenda; licet enim sententia in rem iudicatam transeat, iudex tamen de Syndicatu tenetur, sic quoque ex errore aut imperitia male iudicans, item suam facit l. 5. §. 14. ff. de O. et A. pr. I. de obligat. quae ex quasi delict. et quasi ex delicto tenetur, quia contra iudicem in iure notorio errantem, praesumitur dolus, imo Iudex corruptus et per dolum iniuste sententiam proferens, *poena Legis Cornel. de falsis et conuulsionis*, Iul. repetundar. notatur, ita, vt omnem amittat dignitatem atque notetur infamia, illud vero, quod accepit eo nomine, vt iniquam diceret sententiam, tenetur parti laefae, ad tripulum eius quod datum est, iure equidem Romano, et adduplum eius, quod promissum est, restituere.

S. XVIII.

Huc spectat si ex affectu, *aus Partheylichkeit*, ius dicunt, et respectum personarum habent iudices, contra quos pronunciat, *L. rem non nouam 14. C. de Iudic.* vt et Churfürstl. Sächsl. Land Recht. Lib. 3. art. 30: Der Richter soll gleich Richter seyn, allen Leuten zu verrichten, praecipue, si in actibus iudicialibus exequendis tales se non praestant, quales, vt se praestent, volunt leges. Invertitur iustitia ab omnibus Iudicibus, qui vel totum processum, vel viuum alterumue actum in specie rite ac optima fide non absoluunt. Cuiuscunque vero sint conditionis, Magistratus est, cauere, ne in exequendis hisce actibus iudicalibus securitas publica laedatur, imo tanto grauius peccat Magistratus, quanto magis leges Imperii hoc volunt, vt omnes Magistratus securitatem publicam, et priuatam, quoad fieri potest, promoueant.

S. XIX.

* * *

§. XIX.

Cum vero leges certis personis, locisque, sanctitatem quan-
dam tribuunt, poena quoque, qua violatores notandi veniunt,
pro ratione circumstantiarum est exilium, fustium ictus, manus
amputatio, et quandoque capitalis. Infertur autem haec vis vel
immediate magistratibus ipsis vel mediate sc. personis quibus in
exercenda iurisdictione vtitur iudex, hinc Ill. *Leyserus* sp. d. x. c.
med. 9. seqq. inquit:

Praecipua vis publicae species est, quae magistratibus officium
fuum facientibus infertur, id quod dupliciti modo sit, directe, Ma-
gistratibus ipsis, et oblique, nimis tristis et apparitoribus eorum,
vide Constit. Elect. Sax. 43. P. 4. vel iis, qui ad tribunal eorum
configunt, opemque implorant.

§. XX.

In eo, quem iam in medium produximus, casu, securita-
tem publicam violatam cernimus, ita, vt iudicium haud tutum
exerceri potuerit, et quidem permittente ipso Magistratu, quem,
securitatis causa, imo, vt omnia in hoc aetū judiciali peragenda,
legitime peragerentur, secum duxerat Syndicus, quod aperte fa-
tis patet. *L. 10. pr. ad L. Iulian de vi publica* vbi haec exstant:
Qui dolo malo fecerit, quo minus iudicia tuta exerceantur, aut
iudices, vt oportet, iudicent: vel is, qui potestatem imperiumue
babebit, quam ei ius erit, decernat, imperet, faciat, §. 1. *hac*
lege tenerit. Omnis nimurum vis vel publica est vel priuata;
illa dicitur crimen publicum, quo dolo malo securitas publica
per atrociorum violentiam laeditur. Audit vero vis publica,
quae personae infertur publicae l. 7. ff. ad Legem Iulian de vi
publica, vel quae circa negotia publica admittitur, si Iudex im-
peditur, quo minus iudicia exercere queat, quae punitur aquae
et ignis interdictione vel deportatione. Nostris moribus arbi-

cumstantiarum, conditione personarum, et delicti atrocitate,
arbitrio Iudicis, mulcta pecunaria, vel poena carceris, relegationis,
fustigationis, manus amputatione coercentur tales per-
sonae,

* * *

sōnae, si vero cum homicidio vis publica coniuncta est, vltimo suppicio afficiuntur turbatores CARPZ. pr. Cr. q. 40. no. 5. sequ.

§. XXI.

Vt autem recte de poena, qua huiusmodi turbatores secutatis publicae afficiendi sunt, constet; ante omnia inquirendum est, an dolo malo ipsi vim intulerint; an quatenus culpa lata, vel leui, vel leuissima vim illatam non repulerint, cum vi officii hoc illis tamen incubuisse? Priori casu, Magistratus, qui per Machinations et collusions cum adversario, effecit, quo minus aetius judicialis quidam, perficiatur et iustitia vel in actu ipso, vel in persona publica prostitutatur, ab officio remouetur, infamiae macula notatur, et iuxta Reges allegatas, si in numero minorum Magistratum constitutus, cum iactu fustium, relegatur in perpetuum. Qui vero Magistratus ipsi quidem vim non adhibuerunt, eorum tamen culpa, et quidem lata, vñ in praesenti perspectam habemus, accedit, vt in personam publicam gravissentur homines perditii, ita vt actus judicialis effectum sortiri nequeat, arbitrio iudicis multa pecunaria vel poena carceris recte dictatur. Hinc Scabini Lipsiensis. Anno MDCCCLXV. ita pronunciauerunt:

Hiernächt sind wegen der ihnen zu Schulden kommenden Vernachlässigung in Ausübung des auf sich habenden richterlichen Amts. C. A. W. in Fünfzig Thaler Straße zu nehmen nicht weniger K., G., und P. jeder 14. Tage lang mit Gefängniß, oder um zwey Neusch. zu bestraffen, oder vor jeden Tag Gefängniß drey Tage zu einer gewissen Handarbeit auzthalten, auch nebst vorher genannter Fr. die auf diese Untersuchung gevendeten außergerichtlichen Vnkosten, nach vorhergehender deren Liquidation, und richterl. Ermäßigung pro rata, und so viel ein jeder daran verursachet zu ersezzen, sowohl die gerichtlichen abzustatten verbunden.

T A N T V M.

* * *

Leipzig, Diss., 1766 H-2

X 241 7973





1766, 46.
16

DISSE^TRAT^O IVRIDICA
DE
M A G I S T R A T V M A L E
PROCEDENTE,
FIDEM P V B L I C A M V I O L A N T E ,
EIVSQVE POENA

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

PANDECTAR. P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.
CVRIA E IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC. LVSAT.
INFERIOR. NEC NON FACVLT. IVRID.

ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM
DIE XXVI. AVGUSTI MDCCCLXVI.

P V B L I C E DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

C A R O L V S G O T T L I E B S E N F F .

STOLPENS. MISN.

L I P S I A E
LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.

